

Ulcus, rupto in osse frontis topho or-
tum, quod in principio fœdum erat, &
habuit labia retrorsa, mali moris, ap-
plicatis linteis carptis, infuso cicutæ ma-
didis, optima carne replebatur, & bona
firmaque cicatrix ubique formatur.

EXPERIMENTUM XIII.

VIr (40. aliquot annorum,) vera
anchylosi circa articulum cubiti
sinistri laborans, venit ad nostrum noso-
comium.

Totus articulus, jam a multis mensi-
bus in ingentem tumorem, admodum
dolentem, erat elevatus.

Varia externa internaque remedia
longo tempore applicata, nil mutarunt;
imo quædam ex iis magnos produxerunt
dolores.

Ten-

Tentabatur pulvis de aconiti extracto, & intra sesqui mensis spatium dispaurit tumor, evanuit omnis dolor, redilitque articulo debita mobilitas.

EXPERIMENTUM XIV.

Foemina, 34. annorum, a quatuor mensibus ingentes patiebatur dolores in crure & pede dextro.

Nullus aderat tumor, & cutis color fuit naturalis.

Remedia varii generis interna & externa nil juvabant, & ægra debuit lecto inhærere, nec ob dolores dormire poterat.

Datus autem pulvis de Aconiti extracto mox sopivit dolores, attulit somnum, & intra tres septimanas ægram perfecte sanavit.

Ex